

si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset. Cum vero ait Apostolus de hoc sacramento loquens, *Propter quod fratres cum convenitis ad manducandum, invicem expectate: Si quis esurit, domi manducet, ut non ad iudicium conveniatis. statim subicit: Cetera autem cum venero ordinabo.* Unde intelligitur, quia multum erat, ut in epistola totum illam agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diversitate variatur. Hactenus Augustinus. In quibus verbis id potissimum inter alia annotare oportet, quantum Augustinum tribuerit decretis Ecclesie, quam à Spiritu Sancto semper regi, firmissime credit. Deinde nec liceret in calice aquam vino miscere, quoniam est Christus propter suam sobrietatem ita fecisse creditur: Evangelistæ tamen nihil tale commemorant. At hi contra quos nunc agimus, nihil recipere volunt quod non sit in sacris litteris expressum: quo fit ut aquam vino miscere non debeant, quia nullus Evangelistarum expressit Christum in calice sancto aquam vino miscuisse. Vides jam satis (ut exitimo) quam futile sit argumentum inde colligere, nos esse obligatos ad præbendum laicis Eucharistiam sub utraque specie: quod Christus sic porrexit Apostolis. Omitto quorundam responsum, assignantium discrimen, quod Apostoli ordinati sunt sacerdotes à Christo per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* De his enim verbis non constat Christum facta consecratione immediate ea dixisse antequam Eucharistiam sub utraque specie Apostolis dedit, vel post. Quod si prius dixit quam dederit, constat eum sacerdotibus dedisse. Si vero verba illa Christus post datam illis Eucharistiam dixit manifestum est illum non sacerdotibus tunc dedisse. Quod mihi ex litteræ decursu magis probatur. Nec tamen ideo (ut diximus) argumentum est efficax, ut sic nos facere obligemur. Quod si alicui negotio illud argumentum deservire potest, huic certe erit, ut credamus non esse contra evangelicam institutionem, Eucharistiam sub utraque specie alii etiam laicis porrigere, quod firmissime statemur. Nam olim per multa secula sic apud omnes catholicos usitatum esse, ex multorum sanctorum scripturis didicimus. Sother Papa qui tertiusdecimus à beato Petro, summus Ecclesie Pontifex fuit, sic ait: „In cena Domini à quibusdam perceptio Eucharistie negligitur, quæ quoniam eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis his quibus pro gravissimis criminibus inhibita est) percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat: cum etiam penitentes eadem die ad percipiendam corporis & sanguinis dominici sacramenta reconciliantur.“ Hæc Sother Papa. Quæ verba habentur, de Consecrat. Distinct. 2. cap. In Cena. Cyprianus martyr Sothero plusquam uno seculo posterior, de eadem re testimonium reddit, qui in sermone de lapsis loquens de quadam puella à dæmone obsessa, quæ ad ipsum Cyprianum divina celebrantem mysteria, aduclta fuerat, hæc ait: „Ubi vero solemnibus adimpletis calicem diaconi, conus offerre presentibus cepit, & accipientibus cæteris, locus ejus advenit, faciem suam parvula infanti, divinx majestatis avertere, os labiis obruantibus, premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, & reluctanti licet, de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus, & vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in domini sanguine potus de polluis visceribus erupit, tanta est potestas Domini, tanta majestas,

Hæc Cyprianus. Augustino Cypriano posterior hujus Ecclesiastici usus testimonium reddit, sic inquit. Quum frangitur hostia, dam sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur.“ Hæc Augustinus, & habentur, de consecrat. dist. 2. in cap. Quum frangitur. Hanc consuetudinem fuisse adhuc in Ecclesia tempore beati Gregorii Papæ, constat ex his quæ ille in quadam homilia paschali refert: Sic enim ad populum loquens, ait: „Quid sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicisti: qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.“ Hæc Gregorius, & habentur, de consecrat. dist. 2. in cap. Quod sit. Et hujus rei aliquando in Ecclesia catholica factæ, historia tripartita meminit. In hujus namque historie cap. trigesimo libri noni, unus ex iis tribus auctoribus ex quorum fragmentis confarctatis tripartitæ nomen accepit, nempe Theodoretus enarrans verba beati Ambrosii quibus Theodosium excommunicavit propter immensam crudelitatem quam Thessalonice exercuerat, & qualiter eum ab ingressu templi prohibuit, sic ait: „Quibus igitur oculis aspicias communis Domini templum? Quibus calcabis pedibus sanctum illius pavementum? Quomodo manus extendes, de quibus sanguis adhuc stillat injustus? Quomodo hujusmodi manibus suscipies sanctum Domini corpus? Quæ temeritate ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies quando furore verborum tuorum tantus tantus est sanguis effusus? Recede igitur, recede, nec aliter peccato priora crimina augere contendas.“ Hæc ibi. Ex quibus verbis duo annotata sunt. Primum est, olim laicis Eucharistiam dari in manus: quod cum ex aliis historiis, tum etiam ex hoc loco colligitur. Sic enim dixit: Quomodo hujusmodi manibus suscipies sanctum domini corpus? Secundum est, laicos sub specie vini Eucharistiam tunc recipere. Postquam enim de susceptione corporis dixerat, subdidit: Quæ temeritate ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies? Nisi forte quis dicat Theodoretum hunc præsentis historie auctorem Græcum fuisse, atque ob id eam more suo narrasse, quod Græcis (ut diximus) mos sit Eucharistiam sub utraque specie sumere. Hoc colligitur ex eis aliquando factum fuisse, quod tamen Ecclesia re postmodum bene circumspicere debet, nec immerito, cum ad hoc faciendum nec auctoritas, nec causa illi deesset. Cause quidem ad id tollendum plurimæ subsunt. Prima, numerosa fidelium multitudo in dies crescens, propter quam communicandam periculum erat effusionis sanguinis, quod in præcedente tempore propter populi paucitatem non adeo timendum erat. Altera huic proxima, delatio vini ad loca distantiora pro communicandis infirmis quo casu timendum valde erat, ne inopinato defectus lapsu sanguis effunderetur. Nam ob aliam similitudinem causam, cum olim communio sub utraque specie laicis daretur, sanguinem Domini à Diacono fuisse fustum, in vita Sancti Donati Episcopi, & martyris legitur, ubi hæc verba habentur: Cumque die quadam missam celebrasset populo, & de Corpore Christi venerabiliter recrearetur, Diaconus sanguinem sacrum populo tradens cecidit, & sanctum calicem comminuit. Hæc ibi. Deinde ne vinum pro infirmis conservatum vertatur in acetum, quod plurimum contingere solet. Quarta ratio est, quod apud plerasque gentium, nationes magna est vini raritas, ob quam difficillimum esset, & aliquando im-

impossibile ut sub vini specie totus populus communicaret: quoniam vinum deesset quod tantæ multitudinis sufficeret. Et quod præ his omnibus magis curandum erat, ne scilicet homines hac occasione in eum ducerentur errorem, ut crederent sub utraque Eucharistie specie non æque totum Christum contineri, sicut de quibusdam, nempe Nestorianis, dicitur in huic errorem lapsos fuisse. Quo fieret, ut cum laboranti in extremis species vini propter quosdam urgentes causas subtraheretur, suspicaretur non integre communicarum. Causa ergo superant, eæque non contemnendæ: nec auctoritas defuit. Nam si ex hoc quod Christus communicavit semel discipulis sub utraque specie, statemur illud licite fieri posse, si Ecclesia non prohiberet: ergo si ostendamus Christum in una tantum specie Eucharistiam aliquando discipulis communicasse, statemur etiam oportere hoc ipsum etiam licere, Eucharistiam videlicet sub una tantum specie populo communicare, præcipue quum consistet de Apostolis post Christum alias id facturas. De Christo patet. Nam Lucas cap. 24. enarrans historiam discipulorum euntium in castellum quod dicitur Emaus, quibus Christus resurgens factus est obviam, ait: *Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipse evanuit ex oculis eorum.* Hunc autem panem fuisse Eucharistiam ex eo constare potest, quod dicit, *benedixit, ac fregit.* Numquam enim aliter consecratio illa in Evangelio, nec in epistolis Pauli nominatur, nisi benedictio. Et cognoverunt eum in fractione panis, quippe quod viderint modum observatum quem in cena ultima tenuerat, quam Apostolis suum corpus porrigebat. Verum ne ista sic dicta nostræ fallaci suspitioni imputentur, gravissimos auctores sic sentientes citabo. Theophylactus itaque hunc Lucas locum exponens, ait: „Et quando permittit, tunc aperiuntur oculi eorum, & agnoscunt eum. Insinuat & aliud quiddam, nempe oculi, quod eorum qui benedictum panem assunt, aperiuntur ut agnoscant illum. Magnam enim, & indicibilem vim habet caro Domini.“ Hæc Theophylactus. Hoc etiam testatur Augustinus in 3. lib. de consensu Evangelistarum, sic inquit: „Non incongruenter accepimus hoc impedimentum in oculis eorum, à Sabana factum fuisse, ne agnosceretur Jesus, sed tamen à Christo facta est permissio usque ad sacramentum panis: ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus posset agnosci.“ Hæc Augustinus. Hujus sententia est Chyostomus homilia 17. super Matt. atque idem asserit Beda super Lucam. Quorum verba ut prolixitatem fugerem, in medium adferre contempsi. Cum ergo Christus, tunc sacramentum dedit, panem solum Lucas commemorat dedisse, nullam vini faciens mentionem. Bito, Christus tunc corpus suum non dedit, quoniam de hac re nihil definit volo: Apostoli tamen hoc idem usurparunt. Nam in Actis Apostolorum, cap. 2. dicitur de his qui conversi fuerant per Petri predicationem, *quod erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione & fractione panis, & orationibus.* Vides hic nullam vini factam mentionem. Et alibi in eodem libro dicitur, cap. 20. *Una autem sabbati cum convenissemus in crastinum ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum.* Neque hic aliqua de vino facta est mentio. Nec solum tempore Apostolorum, sed etiam longe in posterum servatum fuisse ritum de com-

munionem sub una tantum specie ex variis testimoniis convincere possumus. Nam beatus Cyprianus in epistola ad Antoninum, quæ est secunda libri quarti, refert presbyteros in fide defecerant, & postea respiciebant non solere recipi ad communionem sacerdotalem, sed tantum ad communionem laicam, quæ aliam non potest esse nisi illa quæ datur sub una specie tantum, quoniam nulla alia potest esse differentia inter laicam & sacerdotalem communionem, nisi quod laicus sub una tantum specie communicat, sacerdos vero sub utraque. Et hujus rei testimonium etiam apertum præbet beatus Ambrosius, qui de laicorum communionem differens, nulla profus vini mentione facta, solum panem commemorat. Et ideo in oratione funebri fratris sui Satyri asserit (ut in proxima præcedenti hæresi citavimus) illum gestasse sacramentum Eucharistie in libello precum suarum, & ab illo fuisse servatum in naufragio. Ex quo aperte colligitur alteram sacramenti specie ab altera separatam tunc fuisse traditam. Est adhuc aliud exemplum quod in proxima etiam præcedenti hæresi ob aliam causam narravimus, & quia huic proposito ob alium finem maxime suffragatur, ideo illud repetere oportet. In historia tripartita libro 6. refertur, quod cum puer quidam nomine Serapionis qui jam morti appropinquabat, peteret à presbytero Eucharistiam, presbyter illum puerum tradidit, ut ad infirmum portaret, quia ille propter noctis intemperiem & suam inbecillitatem ad infirmum venire non potuit. Et in hoc eventu solum speciem panis puerum fuisse traditam refert historia illa, nullam profus sanguinis mentionem faciens. Deinde Leo Papa hujus nominis primus in quodam decreto & in sermone quarto de quadagesima præcipit, ut communio non fiat sub una tantum specie, propter hæresim Manichæorum & aliorum qui prædicabant Christum assumptis corpus phantasticum sine sanguine, & ob eam causam contendebant, Eucharistiam sine sanguine esse sumendam. Ex quo Leonis decreto aperte conjicitur ante Leonem Papam fuisse consuetudinem communicandi sub una tantum specie laicos, & illam decreto Leonis fuisse sublatam, & à tempore illo ob justam causam accepisse consuetudinem communicandi sub utraque specie, quæ postea tempore aliquanto duravit, sed ob alias multas causas denique sublata est. Si ergo Christus semel discipulis suis in una tantum specie communicavit: si Apostoli alii etiam in una tantum specie sæpe communicarunt: si consuetudo illa per multa tempora postea in Ecclesia servata est, convincitur, minime ex Christi præcepto Christianos omnes obligari ad sumendum sub utraque specie. Adde quod in Joann. 6. cap. in quo de hoc sacramento fit mentio, sæpe fit memoria panis, numquam autem memoria vini. Nam et si de sanguine fiat mentio, non tamen ut sub specie vini sumendus est. Deinde una earum petitionum quæ in oratione dominica memorantur apud Mattheum, (Cap. 6.) est de hoc sacramento sub his verbis: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie:* in qua nulla de specie vini fit mentio. Præterea figuras hujus sacramenti, quæ cum cultæ sint, rarissimæ tamen in specie vini, sed omnes fere in specie cibi præcesserunt, ut de manna, & agno paschali, & panibus propositionis. Quod autem in Genesi (Cap. 14.) dicitur: Melchisedech panem & vinum obtulisse, figura quidem fuit hujus sacramenti sub utraque specie, non tamen in plebejo homine, sed in vero Dei sacerdote: quoniam intelligendum est, non quod illa obtulerit Abraham. Nam et si illa porrigeretur

...tur ut rthonus, speculationem, & potestatem judican-
 di & solvendi atque ligandi à Domino sibi datam ma-
 teriam docent. Unde ipse Salvator in Evangelio ait:
 (Joann. 20.) Quicumque ligaveritis super terram, erunt
 ligata & in celo. Et quicumque solveritis super terram,
 erunt solvata & in celo. Et alibi. Accipite Spiritum Sanc-
 tum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quo-
 rum retinueritis, retenta sunt. Ideo ista prætulimus cha-
 rissimi, ut intelligatis potestatem Episcoporum vestro-
 rum, in eisque dominum veneremini, & eos ut animas
 vestras diligatis, & quibus illi non communicant, non
 communicetis, & quod ejecerant, non recipiatis.
 Hæc Urbanus Papa & Martyr, cujus epistola habetur in
 eo volumine in quo sunt omnium Conciliorum decreta
 coæcervata. Hos autem Doctores citavi, ut videat Luth-
 erus qualiter illum Evangelii locum sacri Doctores sint in-
 terpretari, ex illo colligentes, Ecclesiam habere potesta-
 tem excommunicandi. Verum est talem potestatem præla-
 ti Ecclesiastici habeant: non tamen debent illam temere &
 pro levisima culpa infligere: quoniam cum sit acerbissi-
 ma punitio, nullus ea poena debet plecti, nisi pro crimi-
 ne lethali, nec pro quolibet tali, sed (ut patet ex contex-
 tu litteræ evangelicæ) pro solo illo cui est admixta perti-
 nacia. Unde Leo papa hujus nominis primus in epistola
 ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos, quæ
 est 67. sic ait: „Nulli Christianorum facile commu-
 nio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium facer-
 dotis, quod in magni reatus ultionem invitus & do-
 lens quodammodo debet animus vindicantis. Coguovi-
 mus enim pro commissis & levibus verbis quosdam à
 gratia communionis exclusos, & animam pro qua
 Christi sanguis effusus est, irrogatione tam sævi suppli-
 cii fauciatam, & inermem quodammodo exutamque
 omni munimine diabolicis incurfibus ut facile capere-
 tur, objectam. Certe si quando causa talis emerferit, ut
 pro commissi criminis qualitate aliquem juste faciat
 communionem privari, is tantum pœnæ subdendus est,
 quem reatus involuit, nec particeps esse debet supplicii,
 qui consors non docetur commissi.“ Hæc Leo papa.
 Ex cuius verbis multa sunt quæ postmodum annotabun-
 tur. Quod autem nostro proposito servit, est, excom-
 municationem non esse irrogandam alicui nisi pro culpa,
 eaque gravi. Prius enim quam aliquis excommunicetur,
 discutienda est criminis qualitas. Quod si in eo crimine
 inventus fuerit, corrigendus est, & omnibus viis ad pœ-
 nitentiam inducendus. Et si monitiones contemnens, pœ-
 nitere noluerit, nec ad rectum tramitem redire, tunc me-
 rito excommunicandus erit, ut vel sic confusus & eru-
 bescens respiscat. Nam hic est unus finis propter quem
 aliquis excommunicari debet, propter suam, excommu-
 nicati videlicet, utilitatem. Unde beatus Paulus de Co-
 rinthio illo loquens, qui cum noverca sua coibat, sic ait:
 Judicavi tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum
 carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu-Christi.
 Vides qualiter traditur Satanæ, ut scilicet spiritus salvus
 sit. Et in priorè ad Timotheum epistola dicens aliquos
 circa fidem naufragium passos esse, subdit: Ex quibus est
 Hymeneus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant
 non blasphemare. Et in posteriore ad Thess. epist. (Cap. 2.)
 ait: Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc
 notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur. Pri-
 mo ergo per excommunicationem prospicitur ipsius ex-
 communicati utilitati, ut videlicet, cum viderit se à com-
 munionem fidelium ejectum, vel si confusus pœniteat ma-

le actorum. Sæpissime namque comperitur est ut excom-
 municatione aliquis coactus, emendet quæ prius male
 gesserat. Cujus rei plurima possint adferri exempla, illud
 omnium maximum est quod narratur. 9. lib. historiae tri-
 partitæ cap. 30. de Theodosio Imperatore, qui ob eru-
 delem multorum hominum cædem Thessalonice illius
 iusta factam, ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo excom-
 municatus est, & ab ingressu Ecclesiæ prohibitus. Hanc
 excommunicationem imperator patienter tolerans, eo
 quod iuste sibi inflictam cognovit: octo continuis mensi-
 bus ab ingressu Ecclesiæ abstinuit, domique manens, fle-
 ribus & gemitibus pœnitentiam pessimi sceleris agebat,
 veniamque à Domino postulabat. Quod Ambrosius ple-
 ne cognoscens, post illos octo menses Ecclesiæ commu-
 nionem illi dedit: Propter hoc autem factum numquam
 imperator fuit adversus Ambrosium, etiam aliis irritanti-
 bus, indignatus: immo postea de hac re Ambrosium Con-
 stantinopoli laudavit. Multum certe profuit Theodosio
 excommunicatio illa, quæ illum ad peccati sui cognitio-
 nem adduxit, & illius pœnitentiam agere coegit. Felix
 enim est necessitas quæ nos ad meliora perducit. Et prop-
 ter hanc causam vocatur excommunicatio medicinalis,
 quia finis ejus est mederi peccatori, non peccati labo-
 ranti. Erit namque medicinalis excommunicatio, si eam
 non contempserit, sed potius confusionem suam aspiciens,
 emendat quæ male prius egerat. Si autem contemnens
 excommunicationem, penitere negligat, tunc excom-
 municatione non est illi medicinalis, sed lethalis. Verum
 est lethalis sit, non tamen propter hoc excommunicatio
 revocanda est, quoniam excommunicans non solum con-
 sultit utilitati ipsius excommunicati, sed etiam incolumi-
 tati totius reliquæ communionis. Quia enim unus pecus
 morbidum inficit omne pecus: ideo pecus infectum se-
 questratur, ne reliquas attractu suo inficiat oves. Nec
 propter hoc pastor judicatur crudelis, sed pius: immo cru-
 delis & socors & ignava esset contempsit, si hoc non fa-
 ceret. Unde beatus Ambrosius libro secundo, de offic.
 cap. vigesimo septimo sic ait: „Cum dolore amputatur
 etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, ni-
 si potest sanari medicamentis: si non potest, tunc à
 medico bono abscinditur. Sic Episcopi affectus bonus
 est, ut optet sanare infirmos, serpentina auferre ulce-
 ra, adurere aliqua, non abscindere, postremo quod
 sanari non potest, cum dolore abscindere.“ Hæc Am-
 brosius. Non ergo (ut Lutherus summus) crudelis est cen-
 senda mater Ecclesiæ, eo quod filium suum tam sævo sup-
 plicio punit, quia ad filii utilitatem facit, quam si filius
 contempserit, consultit incolumitati aliorum, quia videli-
 cet mavult, & recte, unum perdere, quam omnes. Ex
 his ergo omnibus satis patet Ecclesiam habere potestatem
 excommunicandi, & in quos, & propter quem finem ta-
 lis excommunicatio est exereenda. Præter hæc omnem ad
 eandem rem confirmandam, non parvum, immo maxi-
 mum pondus habet totius universalis Ecclesiæ antiqua
 consuetudo, quæ per scripta & decreta summorum pon-
 tificum & sanctorum, & doctissimorum cognoscitur.
 Deinde plurium Conciliorum decreta hodie extant, qui-
 bus dicitur: Si quis tale aut tale fecerit, excommunicetur,
 aut privetur communione, aut anathema sit: quod
 idem est. Postremo in Concilio Constantiensis sessio octa-
 va condemnatur. 45. assertiones Joannis Vicleph,
 quarum una est hæc: Nullus prælatus debet aliquem ex-
 communicare, nisi prius sciat eum esse excommunicatum à
 Deo: & qui sic excommunicat, est hæreticus ex hoc, vel

excommunicatus. Et alia assertio ejus ita habet: Excom-
 municatio Papæ & cujuscumque prælati non est timen-
 da, quia est censura Antichristi. Quæ propositiones cum
 aliis ejusdem natura super omnes lata sententia damnatæ
 sunt. Nunc ergo opus est, ut ostendamus qui sint hujus-
 modi excommunicationis effectus, ut Lutherus agnos-
 cat illam non esse (ut ait) oprandam, sed maxime fugi-
 endam. Primo ergo excommunicatus traditur Satanæ,
 ut ab eo facilius & liberius torqueatur. Nam est propter
 peccatum ante excommunicationem jam sit in demonis
 potestate, quia servus demonis per peccatum est factus: B
 tamen per excommunicationem majorem in eo habet dæ-
 mon potestatem, ut facilius pro sua libidine illum tor-
 quere possit. Ante excommunicationem enim est per
 peccatum charitatem amiserat, quapropter Christo non
 est vivaciter conjunctus, non tamen ab eo est profusus
 separatus: quoniam per fidem nonnullam habet unio-
 nem: quemadmodum membrum aridum carens vita,
 quod corpori per nervos & pellem conjungitur, & ali-
 quantulo fovetur corporis calore. Et propter hanc fidem
 & conjunctionem particeps est orationum communium
 quæ ab Ecclesiâ fiunt. Et propterea dæmon non tantam
 potestatem in eum habet ut pro sua libidine illum vexet,
 quoniam resistit virtus reliquorum membrorum quibus C
 est per fidem conjunctus. Post excommunicationem vero
 destituitur hoc auxilio, & corpore magis separatur, &
 sic dæmon potest eum facilius quam antea torqueere. Cer-
 tum enim est quod is qui in fordidibus est (ut est in Apoca-
 lypsi (Cap. 22.) fordidere potest adhuc: quemadmodum
 qui iustus est, justificari potest adhuc. Itaque qui in dæmonem
 erat potestare, potest adhuc magis illius potestati subdi
 Joannes liquidem (Cap. 13.) referri dæmonem intrasse,
 in Judam post acceptam buccellam panis, & tamen ante
 acceptam buccellam jam diabolus erat in eo, quia Joan-
 nes antea dixerat quod diabolus miserat in cor Jude ut
 traderet Christum. Ecce diabolus qui jam Judam posse-
 derat, iterum intrat in eum, majorem in eum accipiens
 potestatem. Sic etiam est in excommunicato, qui per
 peccatum ante excommunicationem jam erat possessus à
 dæmone, servus ejus effectus: post excommunicationem
 vero majorem in eum dæmon accepit potestatem. Non
 enim jam fovetur à corpore ut antea, quia nec jam bo-
 norum Ecclesiæ est particeps, nec illi profunt commu-
 nes Ecclesiæ orationes, nec pro illo publicæ & solem-
 nes preces fundere licet. Cujus rei hoc manifestum est
 testimonium, quod cum in die paraceves Ecclesiæ ore
 pro omnibus, etiam pro paganis, pro solis tamen ex-
 communicatis qui publice denuntiati sunt, non orat.
 Quod si talibus auxiliis destituitur excommunicatus, ve-
 rosimile est, ut majorem in eum dæmon habeat potes-
 tatem quam ante excommunicationem, etiam si in pec-
 cato fuisset. Hoc autem testimonium Pauli comprobatur
 (1. Cor. 5.) Nam cæstrum est Corinthium illum qui pa-
 tris uxorem acceperat, tunc possessum esse à diabolo,
 tamen Paulus judicavit illum tradere Satanæ. Et de Ale-
 xandro & Hymeneo qui à vera fide erraverant, testatur
 se illos tradidisse Satanæ. Unde clare patet Paulum tra-
 didisse Satanæ eos qui jam à diabolo possessi erant. Sed
 si ab eo possidebantur, quo modo illos tradidit demoni, &
 cur? Certe qui possidebantur, non profusus sub illius
 ditione erant, & ideo tradit ut magis sibi illi subjecti,
 & liberius illis possit torqueere. Ut autem clarius pa-
 teat hæc veritas, & hanc esse verborum Pauli senten-
 tiam, aliquorum sanctorum testimonia proferam. Pro

qua re maxime facit illud quod supra ex epistola 67.
 Leonis Papæ citavimus. Ejus postrema verba sunt hæc.
 „Cognovimus enim pro commissis & levibus verbis
 „ quosdam à gratia communionis exclusos, & animam
 „ pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam sæ-
 „ vi supplicii fauciatam, & inermem quodammodo, exu-
 „ tamque omni munimine diabolicis incurfibus, ut faci-
 „ le caperetur, objectam.“ Hæc Leo. Quibus verbis
 est reprehendat eos qui temere excommunicationem in-
 ferunt, tamen satis aperte declarat hunc quem diximus
 excommunicationis effectum. Beatus Augustinus in li-
 bro de verbis Apostoli sermone 68. eandem docet sen-
 tentiam, sic dicens: „ Omnis Christianus, dilectissimi, qui
 „ à sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. Quo-
 „ modo? quia scilicet extra Ecclesiam diabolus est, si-
 „ cut in Ecclesiâ Christus: ac per hoc quasi diabolus tra-
 „ ditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur.
 „ Unde illos quos tunc Apostolus Satanæ esse tradidos
 „ prædicat, excommunicatos à se esse demonstrat, Hæc
 „ Augustinus. Et Beatus Ambrosius exponens illud quod
 „ de Alexandro & Hymeneo Apostolus ait, videlicet:
 „ Quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare, ita di-
 „ cit: Traditio autem hæc est, quia commotus Apосто-
 „ lus blasphemis eorum, sententiam protulit in eos. Dia-
 „ bolus autem qui ad hoc paratus est, ut averfius à Deo
 „ accipiat in potestatem, audita sententia corripit eos,
 „ ut intelligerent hac causa se pœnis astringi, quia blas-
 „ phemaverant.“ Hæc Ambrosius. Eandem sententiam
 docet Origenes, qui in homilia secunda super librum
 Judicum ita ait: „ Non solum per Apostolos suos Deus
 „ tradidit delinquentes in manus inimicorum, sed & per
 „ eos qui Ecclesiæ præsidunt, & potestatem habent non
 „ solum solvendi, sed & ligandi, traduntur peccatores
 „ in interitum carnis, cum pro delictis suis à corpore
 „ Christi separantur.“ Hæc Origenes. Quæ verba in vo-
 lumine Decretorum, cæsa undecima, quæstione tertia,
 in capitulo Audi, sub nomine Hieronymi vitiose ci-
 tantur, quoniam præter id quod Hieronymus super li-
 brum Judicum non scripsit, illa verba juxta eundem li-
 teræ ordinem, prout ibi sub inscriptione Hieronymi ponun-
 tur, habentur in homilia 2. Origenis super librum Ju-
 dicum. Sed ad scopum nostrum redeamus. Hanc senten-
 tiam docet etiam Antherus Papa, & Martyr, qui in epis-
 tola ad Episcopos provincie Beticæ & Toletanæ; ita
 ait: „ Veteri quidem lege habetur, quicumque facer-
 „ dotibus non obtemperasset, aut extra castra positus
 „ lapidabatur à populo, aut gladio cervicis subjecta, con-
 „ temptum explabat cruore. Nunc vero inobediens spi-
 „ rituali animadversione truncatur, & ejectus ab Ecce-
 „ sia rabido dæmonum ore discerpitur.“ Hæc Antherus
 Papa. Cujus doctrinam martyrium pro Christo susceptum
 maxime commendat. Lutherus tamen pro sui erroris
 (quem ipse putat veram fidem) confirmatione, marty-
 rium subire maxime reformidat, quoniam intra Saxo-
 niæ angustias sic se continet, ut inde exire non audeat,
 non putans se alibi fore tutum. His omnibus assentit bea-
 tus Urbanus Papa etiam & Martyr in illa epistola supe-
 rius citata quæ est de communi vita fidelium. Is enim
 Pontifex sanctus prohibens ne bona Ecclesiæ in alios usus
 convertantur, ita ait: „ Hæc fratres valde cavenda sunt
 „ & timenda, quia res Ecclesiæ non quasi propria, sed
 „ ut communes & domino oblate, cum summo timore non
 „ in alios quam in præfatos usus sunt fideliter dispensan-
 „ da, ne sacrilegii reatum incurrant qui eas inde abstra-

Abrahæ non erat necessarius Christi sacerdos. Sed quod illa obrulit Deo, gratias ei reddens pro victoria quam Abraham de inimicis habuerat. Cum ergo tot testimoniis comprobetur nullum esse de hac re divinum præceptum, ut omnes videlicet Christiani sub duplici specie Eucharistiam sumant: quid prohibet Ecclesiam statuere ut laici ad unam tantum speciem ascendant, præcipue cum ad id statuendum tot urgentes causæ subsint, & nullum inde incommodum sequatur? Est ergo constantissime faciendum Ecclesie usum hæcenus observatum de communione sub una tantum specie laicis præstanda, sacris literis minime difformem, quinimo iustum vereque catholicum esse. Qua propter Græci, Bohemi, & Lutherani oppositum asserentes hæretici censendi sunt, ac velut tales evitandi. Sed neque in his amplius jam remorari debet lectorem, cum à pluribus conciliis fuerit jam hæc causa definita. Concilium namque Constantiense sessione 13. per hæc verba definit: Et sicut hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala rationabiliter introducta, quod licet in primitiva Ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, postea à conscientibus sub utraque specie, & à laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cum firmissime credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini versatier contineri, unde cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesie auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere quod hanc consuetudinem aut legem observare, sit sacrilegium aut illicitum, censeri debet erroneum, & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tamquam hæretici arrendi sunt, & graviter puniendi per Diocesanos locorum. Hæc Concilium Constantiense. Et Concilium Basiliense, in quo longius hæc res cum Bohemis disputata est, hanc eandem præfati concilii sententiam sessione trigesima confirmat. Si quis autem à me petat, quando communio sub utraque specie inter laicos deserit, ego (ut ingenue loquar) ignoro: Nam, etsi in re hac investiganda omnem adhiberim diligentiam, apud nullum tamen scriptorem potui hujus rei invenire initium, neque ullam ante Concilium Constantiense invenio de hac re Ecclesie definitionem. Credere igitur par est ex communi fidelium populorum & orthodoxorum Præfatum tacito consensu, receptam esse sub una tantum specie communionem: Quando autem primum inceperit, mihi non constat. Contra hanc hæresim scripsit olim (ut Joannes Trithemius testatur) quidam Joannes Hagen Carthusiensis. Postea hoc nostro tempore multi scripsisse feruntur, & quibus vide Gasparum Sagerum in suo Scrutinio divinæ scripturæ, & Episcopum Roffensem, qui in eo opere quod contra omnes Lutheri errores ædedit, unam de hac re integram fecit articulum: & Jodocum Clichtoveum in eo compendio quod fecit veritatum in concilio Senonensi definitiarum. Albertus Pighius in libro controversiarum Ratisbonæ habitatum, controversia septima.

BUNUCHUS.

Uit quedam non minus crudelis & temeraria, quam erronea sententia quorundam dicentium esse necessarium ad Deo bene serviendum, ut quisque castra

et eunuchus sit. Hujus hæresis auctores (ut August. libro de hæresibus cap. 37. ait) fuerunt quidam nominati Valefii, qui non solum seipfos, sed etiam eos quos hospitio recipiebant, castrabant, credentes sic Deo se debere servire. Hic error fati aperit. econvincitur per id, quod unum ex legis præceptis est, ut neminem occidamus. Quo præcepto non solum prohibetur (ut ipsa met veritas exposuit (Math. 5.) occisio, sed omnes res quæ ad illam quoquo modo tendit. Nam sicut in præceptis affirmativis non solum præcipiuntur res illic expressæ, sed illis præceptis etiam mandantur res illæ sine quibus aliæ non possunt haberi: ita in præceptis negativis, hoc est in prohibitionibus, non solum prohibentur illæ res ibidem expressæ, sed etiam interdicuntur aliæ omnes res quæ ad illas maxime impellunt, & latam viam aperiunt. At certum est eum qui castratur, adeo periclitari, ut tunc maxime dubia sit ejus vita. Vidi enim ego ipse quemdam castrari à chirurgo, ut vel sic morbum aliqui incurabilem depelleret, qui tamen ex ea sola occasione mortuus est. Cum ergo tam periculosum sit castrare aliquem, ut verisimiliter de morte illius agatur, cum castrandus est, convincitur inde, ut talis castratio eodem præcepto sit prohibita, quo prohibetur hominis occisio. Nec erit unquam licita, nisi causa salutis adipiscendæ, quam alia facilius via assequi non possit. Præterea, si necessarium esset ut omnes castrarentur, conjugia perirent, quæ Deus approbavit, præcipiens (Math. 19.) ut nullus dimittat uxorem suam, excepta causa fornicationis. Et Paulus jubet virum reddere debitum uxori, ut videlicet invicem non fraudentur. At quomodo vir castratus poterit uxori debitum persolvere, cum talis debiti solutio non alio modo fiat quam per carnalem coitum? Rursum, si oporteret omnes viros castrare, citissime humanum genus finiret, non ex Dei præcepto & voluntate, sed ob defectum propagationis. Sed huic sententiæ obviat præceptum Domini dicentis (Genes. 1.): *Crescite & multiplicamini*. Quod præceptum in mundi exordio propter generis humani multiplicationem obligavit omnes, nunc autem cum jam sit fatis propagatum, & late diffusum, non obligat, nisi necessitas urgeret, ut si forte humanum genus esset ex aliquibus calamitatibus ad tantam paucitatem redactum, ut necesse esset ad ejus conservationem homines misceri mulieribus. Ea enim causa instante, tunc præceptum illud de multiplicatione speciei humanæ fortes vires suas resumeret, & æque obligaret sicut à principio institutionis humanæ. Nam hac sola ratione filie Loth coeuntes cum patre (Genes. 19.) excusantur à peccato incestus, quia videlicet credebant post incendium Sodomæ & Gomorrhæ omnes homines perisse, neque alium præter earum patrem superstitem esse. Tantam enim sancti viri putarunt esse illius præcepti vim, ut etiam ad patris cum filia concubium extendi existiment propter vitandam generis humani deletionem. Beatus siquidem Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 37. de filiabus Loth loquens, sic ait: *Illæ quidem filie secundum simplicitatem & innocentiam putantes universos homines perisse, quemadmodum & Sodomitæ, & in universam terram iracundiam Dei supervenisse, dicebant hæc. Quapropter & ipse excusabilis fuit, arbitrantes se sola relictas cum patre suo ad conservationem generis humani, & propter hoc circumveniebant patrem. Hæc Irenæus martyr. Eidem subscribit Origenes, qui hoc*

mi-

„milia. 5. super Genes. ait: Quamvis grande eis „crimen videretur furari concubium patris, gravior „eis tamen videbatur impietas, si humanæ (ut pu- „tabant) posteritatis spem, servata castitate deleverunt. „Propter hoc ergo consilium inveniunt, minore (ut ego „arbitror) culpa, spe tamen argumentoque majore. „Patris moestitiam vel rigorem vino molliunt & sol- „vunt. Singulis ingressæ noctibus, singulæ suscipiunt „ab ignorante conceptum. Ultra rem non petunt, non „requirunt. Ubi hic libidinis culpa? Ubi incesti cri- „men arguitur? Quomodo dabitur vitio, quod non „iteratur in facto? Hæc Origenes. Tamen beatus „Augustinus lib. 23. contra Faustum, cap. 43. aliquam „illis feminis culpam tribuit, dicens: Et potius quidem „numquam esse matres, quam sic uti patre debuerant. „Sed quamvis illas peccasse censet Augustinus, tamen „illas valde excusat, quia videlicet non ardore libidinis „moræ, sed solum propter conservationem humani ge- „neris fecerint, credentes humanum genus tunc perire „si ipsæ patre suo non uerentur. Et hoc quidem pro- „nostro testimonio satis est: quoniam si illa voluntas con- „servandi genus humanum per coitum bona non esset „ex se, nullo modo potuisset illas à tanta malitia libe- „rare, quantam illis incestus talis constare potuisset. Bu- „cherius Lugdunensis episcopus lib. 2. super Genesim, „Origenis sententiam tuetur, & eidem verbis quibus „Origenes, nec uno murato verbo. Accedit ad hæc, „quod Dominus in Evangelio (Math. 19.) non com- „mendavit natos eunuchos ex utero matris suæ, nec eu- „nuchos qui facti sunt ab hominibus, sed eos commen- „davit eunuchos qui se castraverunt propter regnum celo- „rum. Hæc autem castratio non sic est accipienda, quod „membra virilitatis recesserunt: quoniam si tales eunuchos „Christus laudasset, eadem ratione etiam laudasset illos „qui ab utero matris nati fuissent eunuchi, aut qui ab „hominibus facti sunt eunuchi, quod non fecit. Præ- „terea illo modo est opus veneremus omnino abigatur, „non tamen tollitur illius operis mala voluntas, quæ „maxime vitanda erit: cum ab ea omnis bonitas aut „vehementem carnis pruritus patiebatur, & sæpe dole- „bat se non posse exequi quod caro concupiscebat. Quid „ergo illi proderat castratum fuisse? Certe parum pro- „derat animæ suæ salutari, cum libidinis arbor carnem „ureret, & prava voluntas intra secreta animæ adhuc „latitaret. Abeat ergo Valefii, & animas suas à pra- „va voluntate castrant, & corpora intacta relinquunt.

EXCOMMUNICATIO.

Qui semel hostem alicujus se declaravit, quacumque re potest, nocere illi procurat, & omnem „illius potestatem minuere, & funditus, si po- „test, tollere conatur. Quod in Viclephitis & Huf- „stis & Lutheranis facile est agnoscere: quoniam hi om- „nes, velut viperarum genimina, matris suæ Ecclesie „vulnera rodere nunquam cessant: & cum in ea per bap- „tismum fuerint nati, ab ea per hæresim exeuntes, illam „occidere volunt, omnem ab illa potestatem auferentes. „Inter alia ergo quæ ab Ecclesia separare nituntur, est „potestas excommunicandi. Dicit enim Vicleph, excom- „municationem à Papa, aut quocumque alio prælato in-

„ficiam, non esse timendam, quia est censura (ut dicit) „Antichristi. Et Joannes Hufs asserit clerum suppeditare „laicos per excommunicationem & alias censuras. Luth- „erus autem maros Hiericho jam destructæ reedificare ten- „tans, ait excommunicationem non solum non esse timen- „dam, sed eum gaudium recipiendam & procurandam. Ut „ergo istorum ora obstruamus, ex sacris literis ostenda- „mus Ecclesiam habere potestatem excommunicandi: deinde „enarrabimus incommoda quæ excommunicato eveni- „unt propter solam excommunicationem, ut vel sic ag- „noscat Lutherus quantum sit timenda. Potestatem excom- „municandi tribuit Christus Ecclesie suæ apud Math. „(Cap. 18.) ait: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & „corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus „eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc „unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne „verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesie. Si autem Ec- „clesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* „Quid autem est dicere, sit tibi sicut ethnicus? Idem cer- „te est ac si dixisset, nullam prorsus cum eo habeto com- „munionem, quoniam communio cum infidelibus est Chris- „tianiis interdicta. Unde Paulus ait (1. Cor. 6.) *Quæ pars fi- „delium in infidelium? Et beatus Joannes in sua secunda epis- „tola ait: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non ha- „bet, nolite recipere eum in domum, nec avei ei dixeritis. Qui „enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis. Ecce „prædixi vobis, ut in die Domini non confundamini.* Quod er- „go fuit populo Israel Chanæano, hoc est homini Chris- „tiano homo infidelis. Cum ergo dixit *sit tibi sicut ethnicus*: „idem est ac si dixisset cum illo: non esse communicandum. „Ut autem sententiam Ecclesie excommunicandi aliquem, „ratam & firmam esse nullus dubitaret, addit: *Amen di- „co vobis, quacumque alligaveritis super terram, erunt liga- „ta, & in caelis, & quacumque soloveritis super terram, erunt „soluta & in caelis.* Quæ verba exponens beatus Hierony- „mus in commentariis super Matthæum, ait: *Quia dixe- „rat, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut eth- „nicus & publicanus, & poterat contemptoris fratris „hæc occulta esse responsio, vel tacita cogitatio: si me „despicis, & ego te despicio: si tu me condemnas, & „mea sententia condemnaberis: potestatem tribuit Apol- „tollis, ut sciant qui à talibus condemnantur, humanam „sententiam divina sententia robotari: & quodcumque „ligatum fuerit in terra, ligati pariter in caelo.* Hæc „Hieronymus. Vides hic Hieronymum tribuentem Eccle- „siae potestatem excommunicandi, & hoc non ex suo ce- „rebro (quemadmodum hæretici faciunt) sed ex verbis „Evangelii, quæ de illa potestate censet esse intelligenda. „Hieronymo consentit Chrysostomus, qui exponens illa „Matthæi verba, ait: *Vide qualiter duplicibus colliga- „vit necessitatibus, & pœna quæ hic est, scilicet pro- „jectione ab Ecclesia: Sit tibi sicut ethnicus & publica- „nus: & supplicio futuro, quod est esse ligatum in cœ- „lo.* Hæc Chrysostomus. Christianus Druthmarus su- „per Matthæum idem dicit, & fere eisdem verbis qui- „bus Hieronymus, ideo non fuit opus ea repetere, sed „fatis est indicasse lectori. Eandem etiam sententiam docet „Urbanus Papa & martyr in epistola de communi vita & „oblatione fidelium. In ea enim epist. postquam inhibuit „ne Ecclesie facultates caperentur in alios usus conver- „tendæ, & quicumque diripienti excommunicationem mi- „natur, ne talem excommunicationem aliquis vilipende- „ret, ait (Ibidem): *Quod autem sedes Episcoporum in „Ecclesiis excelte constitutæ & præparatæ inventun-*

tur

momenti, & qua reverentia tractanda, docet Clemens Papa & Martyr in quadam epistola ad Jacobum fratrem Domini, quæ inscribitur de sacris vestibus & vasibus. Legat eam qui de hac re doceri voluerit. De benedictione luminum. solum adferam decretum Concilii 4. Toletani. Illud enim Concilium de benedictione cerei paschalis decernens cap. 8. suorum decretorum, ita ait: Luceana & cereus infra vigiliis apud quosdam Ecclesias non benedicuntur, & à nobis cur benedicantur, inquirunt. Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum hæc solemniter benedicimus, ut sacra resurrectionis Christi mysterium quod tempore hujus mortis votivæ advenit, benedictione sanctificati luminis suscipiamus. Et quia hæc observatio per multarum loca terrarum, regionisque Hispaniæ in Ecclesiis commendatur, dignum est propter unitatem pacis, ut in Gallicanis Ecclesiis conferretur. Nulli autem impune erit qui hoc contempserit, sed patrum regulis subjacebit. Hæc Concilium Tolet. Quo in loco hoc solum admonere oportet, ut licet talis cerei benedictionem omittere, non sit contra fidem, erit tamen contra fidem, vilipendere, & credere nullius valoris & momenti, immo mortifera esse quæ Ecclesia congregata statuit observanda. Valeant ergo impii vviclephistæ, & vereantur appellare magicos

& necromanticos tot sanctos viros, quorum doctrina & sanctitate fulget Ecclesia, ut sol & luna. Ipsi enim potius dicendi sunt necromantici & incantatores, qui diabolica astutia homines idiotas & simplices demerant & incantant, illos à veritate fidei avertentes, & ad impia dogmata convertentes. Sed opus est ut eorum objectioni respondeamus. Obijciunt enim nobis vviclephistæ, quod nos volumus benedictionibus nostris creaturas facere meliores, quam Deus eas per naturam fecerit. Talis autem creaturarum profectus, ut meliores efficiantur, nulla (ut ajunt) experientia cognoscitur. Ridiculum est ergo eas benedicere. O forte argumentum. Dic, nonne ex Evangelio (Luc. 17.) constat eum qui habuerit fidem sicut granum sinapis, habere tantum virtutem, ut si dixerit arbori moro, transplantare, transplantetur statim? At cum ante fidem susceperat hoc non possit, convincitur ut per fidei accessionem fiat melior. Quid ergo prohibet ut idem dicamus de aliis rebus quæ benedictionem suscipiant ut meliores fiant, quam per naturam fuerint? Non quod homo eas meliores faciat, sed Deus ad preces ipsus benedicit. Sed de hac re jam supra in titulo de aqua fecimus longiore disputationem: quapropter ad illum locum mitimus lectorem.

FINIS LIBRI SEXTI

F. ALFONSI DE CASTRO, ZAMOREN,

minoritæ, adversus Hæreses.

IN LIBRUM SEPTIMUM,

PREFATIO.

Quando hoc opus aggressus sum, decreveram in tot libros illud partiri, quot sunt litteræ in alphabeto. Credebam enim sub unaquaque alphabeti littera tot reperiri dictiones ab illa incipientes, quæ significarent res de quibus aliquando fuissent hæreses ortæ, ut succederent ad unum justum librum absolvendum. Verum cum ad hunc locum perveni, agnovi non ita ut decreveram, fieri posse nisi forte justam unius libri mensuram minuere vellem: quoniam jam hac sexta littera alphabeti, videlicet, f, solas tres dictiones, easque nimis steriles reperi, de quarum significatis aliqua pertraherent hæreses. Quare cum in hoc loco agnoscerem me frustratum esse spe mea: antequam aliquid scribere cepissem, processi ad sequentis litteræ explorationem faciendam, timens, ne quid simile in ea mihi postea accideret. Ea igitur probe (ut decebat) explorata, unicum dumtaxat sub ea reperi dictionem, de cujus significato fuisset aliqua hæresis pronuntiata. Hoc idem reperi in aspirationis nota videlicet, h. Quapropter nutabundus hoc loco hæsi, nesciens quo me venterem: quoniam si juxta id quod primo decreveram, præsequi vellem, in inanis gloria notam merito incurissem, eo quod ex multitudine librorum in opere gloriam fuisset visus captasse. Omnia igitur mihi circumspicienti, visum est prudentius fore sententiam semel decretam mutare, quam male definitam pertinaciter tueri: præsertim cum lex divina (Exod. 12.) doceat modum ad cujus imitationem id corrigere valeamus. Deus namque olim precipiens populo Judaico sum agni paschalis, mandavit ut unusquisque tolleret agnum per domos & familias suas. Verum considerans multas esse pauperes domos, intra quarum lares minime posset una nocte integer agnus devorari: remedium adiecit, ut quisque talis jungat sibi vicinum qui conjunctus est domui ejus, quousque tot sint anime quæ sufficere possint ad esum totius agni. Quælibet precedentium litterarum alphabeti adeo dives fuit, & tantam habuit dictionum familiam, ut sufficiens fuerit ad perficiendum unius libri justum volumen. At hæ tres quæ nunc proxime sequuntur, adeo pauperes sunt, & tamen modicam habent familiam, ut duas illarum, ne dicam una, vix sufficiant ad unum integrum absolvendum. Idcirco decrevi omnes has tres alphabeti litteras in unam domum concludere: ut librum quem earum qualibet sola absolvere ob suam penuriam non poterat, simul junctæ absolverent. Quod si forte in posterum aliquid simile deprehendero, idem me facturum decerno.

F.

F. ALFONSI DE CASTRO

ZAMOREN. MINORITÆ.

ADVERSUS HÆRESES.

LIBER SEPTIMUS.

FATUM.



UM varie fuerint de hac re philosophorum sententiæ, nullam tamen earum hic pertrabo, sed juxta meum primum institutum solum enarrabo, quid senserint hi qui se Christianos profitentur & jactant, & si nihil minus sint. Fuit ergo de hac re quidam error asserens, fato conversationes hominum esse imputandas. Hujus erroris auctor fuit (ut Augustinus libro de hæresibus capite tricesimo quinto ait) Bardesanus quidam Syrus, vir doctus, quem Augustinus dicit prius fuisse catholicum, & postea in Valentini errores fuisse lapsum, addidisseque de suo hunc quem diximus errorem. Verum Eusebius Cæsariensis libro quarto historię Ecclesiasticæ capite ultimo de hoc Bardesane loquens, aliter quam Augustinus de illo sentit. Dicit enim illum in schola Valentini nutritum, postea vero cum magistri errores notasset, ad veram fidei regulam rediisse, quamvis non omnes illius errores reliquisset asserat. Dicit etiam illum scripsisse contra Marcionem, & alios hereticos, & ad Antoninum Imperatorem dialogum de fato, quem dialogum Eusebius de nullo errore notat, sed potius eum appellat dialogum potentissimum. An autem ita senserit ut Augustinus illi impingit, ego non possum desinere. Epiphanius Episcopus in libro octoginta hæresum, hæresi 56. de hoc Bardesane differens, aliter quam Eusebius & Augustinus de illo sentit. Sic enim ait: Post hos deinceps sequitur Bardesianus quidam sic vocatus. Bardesianus autem hic, ex quo hæresis Bardesianitarum orta est, ex Mesopotamia secundum genus erat, ex inhabitantibus civitatem Edesseorum. Qui primum quidem optimus vir fuit, & libros non paucos conscripsit, quando sanam mentem habebat. Nam ex sancta Dei Ecclesia procedebat, doctus existens in duabus linguis Græca & Syrorum. Augaro autem Edesseorum principii vito sanctissimo familiaris erat primum, & simul ejus adjutor & ipsius eruditionis particeps. Duravit post illius obitum usque ad tempora Antonii Cæsaris, non pii appellati, sed Veri. Et multa in Abidan astronomum contra fatum differens, collegit. Sed & alia ejus scripta secundum piam fidem circumferuntur. Apollonio vero Antonini amice contradicebat, admonens ut negaret se ipsum Christianum dicere. Hic autem ferme in confessionis loco constitutus erat, sermoneque prudentes respondit, pro pisate viriliter defensionem suscipiens, mortem se non formidare dicens, quam necesse sit adire etiam si regi non contradiceret. Et sic vir hic per omnia magnopere ornatus erat, donec in errore sectæ suæ incidit, factus instar pulcherimæ navis, cui incomparabile onus immittitur, & quæ juxta ripas portus tracta est,

& totum mercimonium perdidit, & alii qui navem ascenderunt mortem induxit. Corruptur enim hic per Valentianos, & ex ipsorum improbitate, venenum & zizania horum haarit. Multa autem & ipse alia principia emissionisque ac productionis narravit, & abnegata mortuorum resurrectione, suam hæresim docuit. Hæc tunc de Bardesane, sive Bardesiano Sanctus Epiphanius, qui etiam dicit illum in Valentini errores fuisse lapsum, aperte tamen dicit illum contra hæresim de fato loquentem scripsisse. Verum & si hic Bardesane hanc hæresim non fuerit rutatus, non desuit tamen qui illi impense favorit. Hunc enim errorem docuit Priscilianus, qui dixit homines esse fatalibus stellis alligatos, & ipsum corpus nostrum secundum duodecim signa cæli esse compositum, constituens in capite Arietem, Taurum in cervice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, & hoc modo alia signa per cæteras corporis partes distribuit usque ad plantas, quas Piscibus tribuit: quia hoc ultimum esse signum. Astrologi docent. Et hujus erroris non meminit Guido cum de Priscilianis loquitur: quod valde miror: cum aperte illum prodiderit Augustinus quem Guido semper imitatur. Hæc ergo doctrina facile convincitur hæresicos, quoniam aperte tollit hominis arbitrium, ut nullam profus in eligendo habeat libertatem: quoniam si homo liber est in eligendo, ita ut res aliter agere possit quam agit, consequens est ut homo non sit fatalibus astris alligatus. Quod si ex astrorum virtute pendat, quicquid acturus est homo, & non ex sua electione: non est ergo hominis arbitrium liberum. At hominem esse in suis electionibus liberum, infra Deo præstante ex sacris litteris offendemus. Præterea si fato omnia reguntur in homine, non erit quod laudemus in homine aut vituperemus. In his enim quæ à natura insunt, nec laudantur, nec vituperantur. Rufus, si homines à fato ducuntur, nulla consultatio erit opus, quoniam in his quæ non possunt aliter evenire, superflua est omnis consultatio. Nullus enim erit adeo demens, ut de crastino solis ortu, vel de hodierno occasu consulat, quia quocumque adhibito consilio non est in nostra prestante, quin hodie sol occidat, & cras oriatur. Non erit etiam opus pugnare adversus vitia: immo inanis esset talis pugna, sed expectandum erit, quo fato ducant, quibus homo non potest repugnare: cum sit (ut dicunt) fato subjectus. Frustra igitur persuadetur boni amor & profectio, & dissuadetur vitium. Frustra dixit Propheta (Psalm. 33.) Declina à malo, & fac bonum. Frustra etiam dixit Paulus (1. Cor. 6.) Fugite fornicationem. Quis ergo suadebit alicui illa quæ non sunt sub ejus potestate? Nullus nisi demens suadebit alicui ut ordinem cæli evertat. Deinde si fato homines subjiciuntur, non erit opus legibus. Ut

Tom. I.

Illi

quid